



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Capvt VI. Quomodo restitutio & reparatio bonorum & honoris alieni  
pœnitentibus persoluenda sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

intellige de ijs qui quandam horum peccatorum admittendorum vsum ac consuetudinem iam assumpserunt: itaque sæpiùs in illa recidunt.

Septimò denique, dissidentes ab inuicem inimici, qui aliquo odio, raucore, inimicitia æmulum prosequuntur, absolutionis non sunt capaces, nisi ex sua parte velint ignoscere, & cum inimicis suis in gratiam redire.

## C A P V T VI.

*Quomodo restitutio & reparatio honorum & honoris alieni pœnitentibus persoluenda sit.*

**V**bi ergo Confessarius conscientia pœnitentis sui statum probè perspectum habuerit, id constituere ac disponere ipse à parte sua debet, quod ad illum gratia diuinæ capacem reddendum requiri, ac necessarium esse videt, tam circa ea quæ ad honorum alienorum restitutionem, & grauaminum, damnorum & iniuriarum, quæ commisit, reparationem spectant, quam ea quæ ad vitæ eius emendationem & peccandi occasionum fugam ablegationemque requiruntur.

Quod autem ad reparationes & restitutiones proximo faciendas spectat, inquirenda ratio est (siquidem fieri potest) vt illæ ita clanculò & secretò fiant, vt pœnitens nullam inde infamiam contrahat. Vnde, si res sit furto sublata, ipsa est aut propria restituenda, aut aliud ei æquiualens, idque per aliquem discretum virum, qui restituentem nec nominet, nec aliquo modo indicet, si falsi sit criminis accusatio aut simulatio, magna dexteritate procurandum est, vt

est, vt pœnitens, quasi aliud agens, & commoda quæ sita opportunitate, eos apud quos de proximo malè locutus fuerat, ad aliter de eo sentiendum inducat, dicens contrarium eius quod ante dixerat, nulla superioris sermonis mentione facta, vel eum simulando.

Sed quod ad vsuras, iniquas lites, & alia id genus intricatiora conscientiaæ grauamina pertinet, singulari & magna quadam opus est prudentia, ad illorum restitutionem procurandam aut pœnitenti suadendam. Vndè si hanc Confessarius prudentiam non habeat, magna cum suauitate pœnitentem roget, vt aliquod sibi tempus ad maturius & per otium de ea re cogitandum concedat, atque interim ipse alios doctiores consulat, vti sunt territorij cuiusque Commissarij, qui, si quidem res requirat & promereatur, nos aut Vicarium nostrum Generalem super ea re consulent. Verum super omnia conandum, ne qui consuluntur, aliquo modo aut ex indagine, aut certis signis & verbis cognoscant vel conijciant quis ille sit de quo agitur, nisi ipse expressam Confessario ad hoc facultatem aut copiam prius fecerit, imò, ne tum quidem, videlicet illo consentiente, id faciendum est, nisi summa necessitate exigente, & pœnitente extra & post confessionem id Confessario requirente.

CAPVT